menses erat florentissimum, nunc autem prorsus
dispersa est ipsius beneficio rursus colligatur. Cuius
rei simulatque aliqua nobis spes affulserit, facie-
mus tuum patrem continuo certiorem. Tu inter-
ea fundamenta grammaticae diligenter retracta,
domique te contine. Deum orans pro familia
patris tui et nostra. Vuelemannus fidelis pue-
rorum nostrorum custos discipulos aliquot e mea
familia collegit, studet apud Senatorem D. Joh.
Campen Nicolai nostri patrem, illic docet eos
magno studio gramm. lat. nunc cum Cicerone
et .... cum Luciano. Si videbitur
vestris parentibus, tu et Stephanus re per-
dam ......, poteritis studiorum commorari
apud civem aliquem honestum ibi cum meis
familiaribus Vuelemannus noster vos exercebit,
donec vobis Deus sine omni periculo reditum
largiatur. Hoc fac ut tuus parens ex me si-
gnificet Stephano eiusque patri, si velit, ut hac
commoditate utatur. Vale dilecte Corneli et pa-
rentes tuos cum Stephani parentibus meo nomi-
ne diligenter saluta. Bremae in schola deser-
ta 4. idus Julii 1577.

pueritiae tuae Rector
Johannes Molanus.

Pax Christi.

Hortaris amice Polyander, ut scribam de quae-
stione tot iam quidem hominum literis utrinque
exagitata, idque ad eum virum, cui nunc tempo-
ris omnes, qui modo aliquid didicerunt, ultro
fasces submittant, quasi desit quod agam, ita me
postulas inexplicabilis negotii viam mihimet
ipsi comparare. Sequar hoc potius, non indul-
gebo contentioni. Nihil minus ingenio meo
convenit, quod quidem quietum fuit hactenus et
propriis studiis intentum. Tantum ut senem
decet, multis iam annis in Ecclesia Dei caste,

285)
[= Mscr. a. 7 — Nr. 295]

integreq; versatum, ubi intellexi fici in nostro fano ab ipsis Mystagogis quandam doctrinæ partem corrumpi, aut ubiquitatis fenestram aperiri: modeste me opposui (utinam aliquot, & acrius ni tam serus fuissem) et mea non magni ponderis sententia utcunq; justè necessariam veritatis defensionem: itaq; non ex contentione nescio qua (ut scribis) quæ nuper hic exarserit: sed ex officio, quod Ecclesiæ debeo, cum ille perniciosæ tibi, essentiale, substantiale, naturale, ante annos viginti adversus præclaræ memoriæ virum Doct. Albertum ab ipsis collegis pertinacissime urgerentur: vocatus a septem viris ad confitendum, respondi ingenue me detestari tales feces pontificiæ impietatis, è quibus jam olim omnes cœnæ dominicæ abusus et abominationes, ortum et incrementa duxissent. Nuper autem cum noster Meningus ex locis Philippi multa pro libero arbitrio disputans, in prædestinatores vehementer inveheretur: dixi meis auditoribus in schola, doctrinam illam Melanthonis de libertate voluntatis sanam non esse: Tum autem quæ contra prædestinationem dicerentur: ea præcisè pertinere ad evertendam doctrinam gratuitæ ~~qua~~ justificationis. Siquidem fides, quæ justitiam in Christo consequitur, ex æterna Dei electione promanat, nec habet aliud constantiæ suæ stabilimentum, pluraq; his consimilia, quæ cum meus collega ad Coryphæum retulisset: vapulavi in curia, quod apud

imperitam juventutem de Philippo Mel: (qui fuit olim unicum Saxoniae decus) contumeliose loquutus esset. Idem illas tristissimarum contentionum [illegible], essentiale, substantiale, naturale, quae cum clarissimo Doct. Alberto ex hac urbe procul in exilium profugerant, quasi jure postliminii in Ecclesiam Bremensem hisce annis proximis redeuntes: commonefactus est à me privatim perquam amanter repudiandas esse illas Flacianorum phrases, utpote à priori doctrinae simplicitate alienas, et trahentes secum perplexas quaestiones nunquam finiendas. Con . . . . . . sit monitorem affirmans panem esse corpus essentiale, substantiale, naturale . . . sed admovit totidem enclastra non essentialiter, non substantialiter, non naturaliter. Quibus quorsum obsecro opus fuisset, nisi adjectione propositionum sophisticarum, sanam sanctamque Domini nostri Jesu Christi doctrinam vulnerasset? Negare non poterat in verbis Magistri tropum esse: sed, ex me scire voluit, in qua tandem voce tropus esset? Erat enim hic in ministris, qui asseverabat, in verbo (est) tropum esse. Cui ego testis ostendens ex artium praeceptionibus in vinculo enunciati nulla ratione tropum esse posse. Vinculum semper sequi affectionem attributi ad subjectum. In vocabulo (corpus) modificationem esse non alibi. Planum tum id mostro, ac deinceps etiam dico, neque in subjecto panis neque in verbo est neque alibi, quam in attributo constitui tropum oportere. Quod si hoc verum est, si corporis vocabulum modificatum est: Panis erit σῶμα ἀλλοιωτόν, non οὐσιῶδες, non ὑποστατικόν, non φυσικόν. Missas

fuciamque voces perplexas, quae re vera regnum
tollunt, sublataque ex oculis divini sermonis sim-
plici veritate, idiotas ad artolatriam pro-
pellunt: Theologos in lucrifugosa certami-
na mittunt. Hae sunt illae coenae Graecae, quas
sanè parum convenienter scripsisti oculos Illu-
lario perstringere: qui eas abominari solitus
est, et quam longissimè ab oculis removere.
De doctissimis illis hominibus, quos scribit Illu-
lius, congruunt cum eo, quod est in Historia.
Ambitio multos mortales falsos fieri coegit.
Ingravescit in urbe pestis quotidiè, quae
sinè quoque senem sepeliverit: exspiravit agnitissime
et filia Feliittei, quem colui ab adolescentia,
ad Cornelium meum adjungar. Scholam con-
vulsam lugeo, quam extra nullam unquam
vitam putavi. Vivo tamen adhuc cum uxore,
parvisque liberis. Vivunt etiam mecum duo
peregrini, Antonius Langer, et Henricus
Zalebergh, quorum consuetudine confir-
mor, homines sunt piì et perelegantèr in-
structi: qui quam indignè tum hic, tum ali-
bi fuerint accepti, posteritas incorruptior
judicabit. Sustinent etiam nunc magnam in-
vidiae molem: quam nec ego effugio, qui saepe
cum ipsis et mensam communicavi. Atque me
quidem hujus officii nunquam poenitebit,
complector enim eos in Domino, quia scio esse
amicos Dei viventis. De libello curasti, rece-
pi: sed sine epistola et sine salutatione.
Dic salutem tuae conjugi, dic amicis, praesen-
tim Gansepolo, D. Menfoni, et M. Erasmo
cum nova nupta. De meis proximis literis
vos ipsi statuite pro vestro arbitratu.

Ego eadem animi æquitate, et bene et male audire possum. Orate pro nobis ut Deus fa-cie sua nos collustret. Fiat, Vale. Bremæ. Postri-die Calend. Augusti 1577.

Vobis amicus
Johannes Molang.

Joh. Esichio Leidæ
Pax Christi.

286)
[= Mscr. a. 7.
Nr. 296]

Equidem in colligenda Bremæ schola fidelis, quoad potui, fui, et religiosus in eadem castè integreque retinenda. Sed ut nihil est in hu-manis rebus perpetuum aut stabile: ita his annis 14. quibus hic excubias egi velut in Nau-fragio, hanc jam alteram scholæ familiæque meæ ruinam spectavi, et quidem in eâ tem-pora incidit dissipatio, quum nobis rebus quam optime constitutis maxime florere videre-mur. Sic est voluntas Domini, qui pro sua sa-pientia nunc ædificat, nunc diruit: nunc colli-git, alias dispergit. Itaque quâ animi æquitate incrementa rerum nostrarum contemplari soleo: eadem hanc scholæ, domusque conversio-nem accipio et fero. Et quidem potissimum si . . . . confectus labore et senio, non re-cusem quiescere, aliusque feliciùs - - - -
. . . . Quæ dilapsa est à nobis juventus: ea ferè eadem numerose convenerit. Nempe, ut Physici ferunt, ex unius interitu alterius ortum existere. Quæ mihi professa divinitus sors fu-it, in eadem acquiescens, magnos aliorum ac-nos sine invidia et irreflexis oculis spe-ctare possumus. Deus est, qui judicium exer-cet in populo suo, cujus potentissimæ ma-nui merito submissi subjectique sumus. Pestis in urbe subinde sit se ipsa sævior: ea, si meam quoque tabernaculum pulsaverit, feri-